

ad hystor. gentis Robeliae.

F. K. 102. 12

V, 38
Z d
6570

PRORECTOR
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS
**IO·BALTHASAR
VVERNHERVS**

POTENTISS·POLON·REGIS ET ELECTOR· SAXON
A CONSILIIS AVLAE ET IUSTITIAE PANDECT· PROF· PUBL
CVRIAEC PROVINC· SENATVS ECCLES· SCABIN· ET
ORDINIS IVRID· ASSESSOR

CIVIBVS ACADEMICIS
S · P · D



SEmper quidem heroibus abundauit gens Robelia,
quae, bello Venedo Henrici Aucupis auspicium
secuta, expeditionisque, ab Imperatore suscep-
tae, comes, uicinos Marchiae fines intravit, et,
re bene gesta, fortunarum sedem ibi constituit, ac mul-
torum possessiones seculorum, temporum conuersioni-
bus agitata magis, quam fracta, obtinuit, uocataque in
subsidiū patriae, in aulas etiam, aut ad alia illustria
reipublicae munera liberaliter accita, saepius ab exter-
nis inuitata Principibus, et ornata, nominis sui glori-
am late disseminauit, et domi, forisque, clarissima uir-
tutis suae monumenta fecit. In maiorum tamen ima-
ginibus, quas in annalibus perantiquas habet, colit in
primis incrementum ERICI, eiusdemque consilium
ad dignitatem suam refert, qui cum, alto militaris fa-
stigii elogio, Legatus Caesaris inter excellentes illius
memoriae duces magnitudine animi emineret, sic con-
sulendum posteris duxit, ut et fortitudinis specimen,
factis expressum, relinqueret, et, prouisus liberalis disci-
plinae praefidiis, cultum ingenii commendaret. Etsi
enim tantum amplitudinis habet uel belli, uel doctri-
nae laus, ut utriusque rei studium, excellenter cul-
tum, nomen illustrare possit, tamen iis demum gen-
tibus ad perfectioris commendationis, atque ad im-
mortalitatem, inter homines consequendam, iter pa-
tere uidetur, quae utrumque decus ita coniungunt,
ut et hostibus propulsandis duces, manu fortes, con-
siliique plenos, obiciant, et reipublicae auctores e-
gregii publici sapientissimos impertiantur. Nam
cum duo publica sint tempora, alterum belli, alterum
pacis, quorum illo quies, armis conuulsa, armis resti-
tuitur, hoc rerum status sapientia, iustitiaque, defendi-
tur, communis quidem expectatio tum demum susti-
netur, cum in seminario praestantiae gentilitiae illi edu-
cantur, qui uel pericula, ab externa ui imminentia,
repellant, uel togae ornamenta conseruent. Hoc do-
mum

mum suam honore cumulauit Timotheus, cum ad
rei militaris opinionem, sua, patrisque Cononis uirtute
partam, ingenii facultatem adiecit. hac existimatione
floruit gens Cornelia, quae, acrium uirorum
foecunda, et belli propugnacula, ac fulmina, extulit,
et Africani, semper inter arma, ac studia, uersati, insi-
tuto, dimicandi, uincendique, peritiam cum arte, iudi-
cioque regundae ciuitatis exaequauit. Ipse qui-
dem Timotheus, Atheniensium dux, cum tantas in-
bello res gereret, ut ad eius imaginem fortunam, ur-
bes ad rete cogentem, ipso iuxta dormiente, depin-
gerent pictores, ipse quoque Scipio Aemilianus cum,
Polybio, quem secum ducere solebat, comite, et tri-
ginta militibus stipatus, portam Carthaginis suffode-
ret, urbemque, Romani imperii aemulam, caperet,
ac funditus erueret, non in ui, consilii experte, quae
mole rueret sua, sed in scientia oppugnandi, expugnandi
que literarum praeceptis, exemplisque
didicerant, adiumentum habebant. Adeo bonae ar-
tes ipsum militaris operis usum instruunt, nec com-
ponunt magis in subito casu animum, atque ad peri-
cula subeunda firmant, quam ingenium acuunt, soler-
tiaque augent, ut et moderatius, et constantius, et sci-
entius, in acie, totaque belli administratione, officium
fiat. Quamobrem bene de posteritate sua meritus
est Ericus, quam doctrinis optimis ad ornanda belli,
pacisque, tempora imbuendam putauit, bene de lite-
ris ipsis, quarum honorem, praecepto Generi tam
praeclaro illarum studio, imperatoria uoce asseruit,
atque aduersus seculi, sapientiam e medio, ut ait ille,
pellentis, uique rem gerentis, obtrectationem aucto-
ritate sua, dux belli praestantissimus, et maximus, sa-
pienter muniuit. Nec uero spes eum fefellit propter-
ea, quod Robeliani nominis fama cum triumphali-
bus ornamentis, maxime ductu, tot ducum magistri,
quasique paludatae militiae parentis, tot praeliis gra-
uissi-

uissimis, et fortunatissimis, in pluribus Europae regionibus, spectati, probatique, excellenti et uirtute, et loco, sed omni, quam in Regii peditatus imperio, tenuendoque hoc Castro, sustinet, dignitate superioris,
CHRISTIANI DIETERICI, in fastigium gloriae bellicae sese extulit, tum in aliis posteris, more illius Africani, ac potius Erici hortatu, quantum corpus periculis, tantum disciplinis animum, exercentibus, usque eo creuit, ut non solum ciuilis doctrinae, sed etiam exquisitae omnis, thesauros, in externis maxime regnis, praecipue in illa elegantiae magistra, Italia conquisitos, in cumulatissima ERICI, adhuc superstitis, eruditione docti etiam nunc admirantur. His maiorum illustrium uestigiis insistit, ad amplificandum aucti, paternique nominis splendorem natus, et cum omni exercitationum equestrium genere ad cultum aulae expolitus, tum praestantium studiis artium optime institutus, ac tanto Progenitore dignus,
VILELMVS LVDOVICVS ROBELIVS, iamque sensu pietatis excitatus, Erici, coelo iamdiu recepti, perinde, ac meriti, ab illo in posteros profecti, memoriam, quam sanctam habet, renouare instituit, oratione publica, et tali, qualem, plures iam annos, anniversario religionis instituto, et certante auscultantium comprobatione, domi tamen, recitare consuevit. Vos Robeliae stirpis magnitudinem, amplissimis meritis, dignitatibusque, fultam, nostis, CIVES, uos Patris Excellentissimi prudentiam, uigilantiam, qua Castro huic praefidet, et miram, qua cunctos excipit, comitatem, admiramini nobiscum, ac suspicitis, uos Filii insignem modestiam, singularem industriam, et, ut nunc sunt tempora, inusitatum fere in politissimis literis, omniisque sapientia, studium, et uidetis, et amare soletis. Superest, ut caussas uel obseruantiae, uel humanitatis praestandae animo complectamini, Oratoremque nostratem, inter solemnem concentus musici apparatum, crastino, ab H. IX matutina, in Acroaterio Maiori, eleganter, ornateque, dictorum, frequentissima concione audiatis, neque prius, quam illustri Genti nouum, exploratumque, decus nobiscum gratulati, discedatis. P. P. Dominica Exaudi,
A. R. G. clo Io CC XIII

VITEMBERGAE
PRELO SCHROEDTERIANO

Zd
6570

F. K. 102 12 138
**PRORECTOR
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS
IO·BALTHASAR
VVERNHERVS
POTENTISS·POLON·REGIS ET ELECTOR· SAXON
A CONSILIIS AVLAE ET IVSTITIAE PANDECT· PROF· PVBL
CVRIAEC PROVINC· SENATVS ECCLES· SCABIN· ET
ORDINIS IVRID· ASSESSOR**

CIVIBVS ACADEMICIS

S P D

